

A odor ipsius obscuratur, ideo suum in vrina nequaquam seruat odorem. Carduus vero assumptus quum humores crassos commoueat, & ad vias vrinae conuertat, ideo vrinas foetidias dicitur reddere a Galeno. Quo quidem etiam patet pituitosos humores inter alios foetidiores vrinas reddere, illi enim sunt qui vrinas solent reddere crassas. Sed quare pituita potius quam humor melancholicus foetoris est causa? An quod pituita ob humiditatem putredini maxime est obnoxia? vel quod crudum quoddam sit excrementum? Cruditas autem, vt scribit Aristoteles in 10. sectio. Problem. mali odoris est causa. Haec ergo ratio est cur quaedam assumpta vrinas bene vel male reddat oletes: & quaedam seruent suum odorem, quaedam vero non. Non autem illud fit, vt Montanus credit, quod scilicet ex rebus bene odoratis assumptis graeolentes reddantur vrinae, ex male olentibus vero foetidae, nam allium male olet, & male olentia reddit excrementa corporibus. Carduus nullum licet habeat grauem odorem, elicit tamen graeolentem vrinam: Terebinthina non nisi suauem habet odorem, & talem reddit vrinam.

B De causis contentorum in Vrina. Cap. XVII.

CONTENTA in vrinis vocamus non quicquid in vrinis est: non, inquam, odorem, colorem, saporem, crassitiam, tenuitatem, luciditatem, opacitatem, & alia quae diuidi & separari non possunt ab ipso liquore, sed quae separatam habent naturam vel obscurementem vel euidentem, quorum quidem non est vna & eadem ratio & materia. Propterea errat Actuarius, qui nulla facta distinctione, simpliciter pronunciat contenta provenire ex tertia concoctione, quae fit in venis. Nam quaedam a renibus, alia a vesica, alia ab alijs rebus proveniunt. Quare seorsum de singulis tractandum, quae diuersa natura constant: quae vero communem habent naturam, communem quoque recipient tractationem: ita enim doctrina fiet clarior.

C De nubecula, enzoremati & hypostasis causis. Cap. XVIII.

DE Enzoremate quod nostri vocant sublimamentum, & Nubecula atque hypostasi, quae sedimentum non inepte interpretatur, agemus eadem tractatione, quum eadem illorum omnium natura, eadem causa, & solo accidente inter se differunt, nam quod Nubecula est, dum morbus adhuc est crudior, fit postea Enzorema: & hoc ipsum per vltiore concoctione fit sedimentum. Seruatur ergo res eadem, quae ob situm diuersum tria sortitur nomina. Ac primum illud docebimus ex qua materia fiant: tum in quo corporis loco gignantur, & quomodo. Scribit autem Montanus contenta huiusmodi esse excrementa terrea cum vrina commixta. In quo quidem a seipso discrepat, & docet quae sunt a ratione aliena. Nam si terrenum est excrementum, quomodo supernam & mediam vrinae regionem occupare vnquam potest, vt ille fatetur, & experientia docet, huiusmodi contentum? Quo pacto potest esse leue, aequale & figuram pyramidalem obtinere? Nam quod terrenum est, viscositate caret, vt ostendit humor melancholicus, qui sine lentore re vera est crassus & terrenus. Propterea si talem haberent materiam, non possent deduci & continuitatem retinere dum pendent in vrina, nec figuras talem capere, quales illis tribuimus. Galenus vero libro primo de Crisibus, melius quidem, sed non satis euidenter, contentorum materiam exprimit, quum ait, sedimentum in vrinis esse quicquid alieni in sanguinis generatione refugit naturae concoctionem. Nam primum illud dubium est, quae nam sint illa quae eo in loco refugiant concoctionem: an omnia, inquam, excrementa quae assimilari non possunt: sic enim bilis vtraque quae post sanguificationem expurgatur a massa humorum praebet materiam his contentis. Quod fieri non potest, quando quidem lentorem non habent qui a contentis separari nequit. Refugit quoque concoctiones cibis ingestus totus, quum ob naturae infirmitatem, vel materiae copiam, vel malas qualitates vinci nequit, nec fieri sanguis bonus, sed quicquid est in eo, crudius manet. At hoc totum non fit materia contentorum, nam contenta fiunt in sanis qui bene concoxerunt & sanguinem bonum procreant. Quare non ex toto quod in sanguinis generatione alteratur fit sedimentum, sed ex aliqua solum portione. Actuarius vero libro primo de Causis vrinae, capite secundo, scribit contenta in vrinis esse excrementa tertiae concoctionis. Verum docere illum oportebat ex qua materia fierent. Praeterea quum illam tertiam concoctionem intelligat eam quae fit in venis; iam superius habuit suae opinionis confutationem, vbi ostendimus in venis nullam communem toti corpori fieri concoctionem, ex qua resultent duo genera excrementorum, alterum crassius, alterum tenuius, qualia in concoctione ventriculi, hepatis, & singularum partium fieri apparet. Sunt qui dicunt contenta haec in vrinis nihil aliud esse quam crudum vocatum humorem qui in hepatis concoctione non potuit concoqui: concoctionem autem postea recipit in venis & solidis partibus. Sed illi errant. Crudus enim vocatus humor subsidet perpetuo ob suam crassitiam, nec ex eo fieri potest nubecula & enzorema. Quod si quis diligenter horum naturam inspiciat, inueniet profecto illa non fieri

Ioan. Argent. De Vrinis Liber.

I 3 fieri

vid. Horat. Argent.
in J. 1. 17
confil.

Contra Montanum

Galeni

Actuarii

&

Autoris opinio

Autoris opinio